



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrum Oratorium Piarum Imaginum Immaculatæ Mariæ  
Et Animæ Creatæ Ac Baptismo, Poenitentia Et Eucharistia  
Innovatæ: Ars Nova Bene Vivendi Et Moriendi**

**Bivero, Pedro de**

**Antverpiæ, 1634**

De effectibus sacræ Eucharistiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47965](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47965)

Audi Eucharistiæ & eius fructuum  
concentum.

Consonantia coronæ stellarum duodecim  
duodecim fructuum Spiritus sancti cum  
duodecim fructibus Eucharistiæ.

**P**Aulus Apostolus cum in Epistola ad Gal.  
cap. 5, 22. carnis opera retulisset, enumerat  
eum Spiritus sancti fructus. *Fructus autem Spiritus  
sancti sunt: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas,  
longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia,  
castitas.* Ritè ac rectè Paulus fructus vocat: quoniam  
teste Anselmo, *ex bona arbore sicut optimi fructus  
prodeunt, ut refectioem perpetue saturitatis præbeat  
fidelibus.* Mirabilis quoque Eucharistiæ effectus non  
fructuum donantur & declarantur, quia ex bona  
arbore procedunt. Christus ipse, cum Sacramentum  
condidit, Apostolisque distribuit, post acceptam  
Communionem in eis fructum esse concupiscere  
petiuit. Ioan. cap. 15, 5. *Qui manet in me, & ego in  
illo, hic fert fructum multum.* Qualis fructus iste sit,  
posuerat antea Christus, cum effectum Eucharistiæ  
Ioan. 6, 56. promulgaret: *Qui manducat meam carnem, & bibit  
meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut enim*



*me viuens Pater, & ego uiuo propter Patrem; & qui  
 manducat me, & ipse uiuet propter me.* Arbor quidem  
 vitæ Eucharistia est, vnde & prodeunt fructus, qui-  
 bus puræ animæ diuinitus reficiuntur. Ascendit Iu-  
 stinianus de Perfect. Monast. cap. 9. *Mysterium hoc,*  
*inquit, quasi ingens arbor virentibus refertur foliis, sub*  
*qua quicumque fugiunt, laborantes & peregrinantes, pro-*  
*tegentur in ipsius umbraculo ab diei aestu, à turbine quo-*  
*que & pluuia.* Mysterium itaque hoc quasi ingens ar-  
 bor est tota inserta in Spiritum sanctum, cum dicat  
 de Eucharistia **CHRISTVS:** *Verba quæ ego locutus* Ioan. 6, 63.  
*sum vobis, Spiritus & vita sunt.* Quòd si Spiritus vi-  
 uificat, viuificat etiam Eucharistia; & si Spiritus san-  
 ctus ignis consumens est, ignea quoque Eucharistia est, Deut. 2, 4  
 cum lib. de Natura Dei minimè scrut. cap. 5. dixerit  
 Ephræm: *Ignem & spiritum manducandum ac bibe-*  
*dum præstitit nobis, Corpus scilicet & Sanguinem suum.*  
 Cum arbor Eucharistiæ sic in Spiritum sanctum in-  
 feratur, illius fructus Spiritui sancto debent certo  
 certius respondere. Et quidem respondent, vt di-  
 cere fas sit: Fructus Eucharistiæ est, charitas, gau-  
 dium, pax, patientia, longanimitas, mansuetudo,  
 fides, modestia, continentia, castitas. *Fructus,* vt  
 ait citatus Anselmus, *à fruendo dicitur: & frui proprie*  
*non dicimur, nisi rebus illis in quibus finem lætitiæ nostræ*  
*ponimus,*



ponimus, in aeternis scilicet bonis, quae in Deo possunt  
quandoque paramus. Huc nos alliciunt & trahunt Spi-  
ritus sanctus & Eucharistia, cuius fructus assumit  
MARIA percepit. Percepit duodecim Spiritus  
Eucharistiae fructus, quibus duodecim stellae in  
coronatione fulgentes numero & mysterio con-  
niunt.

## I.

## CHARITAS.

*Fructus sa-  
cræ Com-  
munionis.*

**P**rimus Spiritus sancti fructus *charitas* est.  
hic quoque primus est Eucharistiae fructus.  
Confirmat hoc ipsum MARIA, dum Cant. cap. 4.  
ait: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me  
ritatem.* Consonat & CHRISTVS, qui post datam  
acceptam ab Apostolis Eucharistiam, legem chari-  
tatis Ioannis cap. 15, 9. euulgat, & ordinat chari-  
tatem, qua Deus in primis & dein proximi diligunt  
à nobis sunt. *Manete*, monet CHRISTVS, in dilec-  
tione mea. *Si praecepta mea seruaueritis, manebitis in  
dilectione mea, sicut & ego Patris mei praecepta seruau-  
eritis, maneo in eius dilectione.* Subiungit deinde vers. 12.  
*Est praeceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi  
vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam  
ponat quis pro amicis suis.* Consentit dictis Ecclesiastici  
cuius est illa sententia: *Communionem calicis, quo*



ipse sumitur, non vitulorum sanguine congregavit nos Dominus. Charitas itaque fructus est Spiritus sancti & Eucharistiæ, quem tulit mater pulchræ dilectionis MARIA. Oportet, ut singulis communicantibus anima MARIAE insit, & ita ab altaris mensa recedat, ut tam in Deum quàm etiam homines igne charitatis flagret: *Arbor bona bonos fructus facit: & Matth. 7, Communio bona bonum amoris fructum generat.* 17.

## II.

## GAVDIVM.

Secundus Spiritus sancti fructus *gaudium*, & Fructus sanctæ Communionis. Sicut etiam est fructus Eucharistiæ. Quapropter CHRISTVS, cum suis Apostolis sacram Communionem esset iam impertitus, ad gaudium & lætiam eos excitat. *Amen amen dico vobis, quia plorabitis Ioan. 16, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. 20.* Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur, nunc tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum; & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Hæc Eucharistica via, ut per temporariam tristitiam ad æternum gaudium gradus fiat. Huius gaudij particeps MARIA Cantic. 1, 4. dicit: *Introdu-*



*xit me Rex in cellaria sua, exultabimus & letabimur  
te, memores Uberum tuorum super vinum. Condo-*

MARIAE Ecclesia, dum canit: In voce exultationis  
resonant epulantes in mensa Domini. Fructus itaque  
charistiae est gaudium Spiritus sancti, sicut Iulianus  
Serm. de Eucharistia concludit: *Experientia  
tur deuotionis sanctae, & exultatio Spiritus, quae in  
cramenti huius perceptione gustatur, notissimum alimen-  
ritus noscitur esse testimonium. Sit igitur in singulis  
communicantibus almus MARIAE spiritus, qui  
tus in Deo gaudeat, totus exultet. Fructifera Com-  
munio est, quae in caelestem definit cordis & animae  
exultationem.*

*Sacris solemnibus iuncta sint gaudia,  
Et ex praecordiis sonent praeconia,  
Recedant vetera, noua sint omnia,  
Corda, voces, & opera.*

III.

P A X.

*Fructus sa-  
cræ Com-  
munionis.*

**T**ertius Spiritus sancti fructus pax est: & hanc  
eamdem Eucharistia producit, cum post  
perceptionem dixerit Christus Apostolis Ioan. 14.  
*Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quam  
do mundus dat, ego do vobis. Et quidem Angeli, &  
hic panis de caelo delapsus est, virtutem eius apponit*



uerunt, ac pariter cecinerunt: *Gloria in altissimis Deo*, Luc. 2, 14.

*Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Cùm natus esset ex ea, virgo MARIA postulat, *Osculetur me osculo oris sui*; osculo nimirum pacis, in cuius recordationem celebrans Ecclesia dicit, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.* Hæc eadem ait: *Qui pacem ponit fines Ecclesiæ, frumenti adipe satiat nos Dominus.* addit præterea: *A fructu frumenti & vini multiplicati fideles in pace CHRISTI requiescunt.* Sit igitur in vnoquoque fidelium anima immaculatæ MARIAE, quæ sola mitis est, & à pacifico Salomone & nomine pacem hausit. Magnum indicium gratæ & acceptæ Communionis est pax, qua post Eucharistiam sumptam homo interiùs fruitur, interiùs quiescit anima.

## IV.

## PATIENTIA.

Quartus fructus Spiritus sancti *patientia*, & *Fructus sacrae Communionis.* Quartus hic ipse Eucharistiæ prouentus est. Ea propter CHRISTVS post sumptam sacram Cœnam, ad tolerantiam suos hortatur Apostolos cap. 15, 20. Ioannis: *Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Item gloriosissima MARIA, cùm panem cælestem accepisset & concepisset, ascendit in montana, vt patientiæ suæ argu-



gumentum in arduo montium ascensu præbere  
ostenderet. Item Ecclesia sancta patientiæ scilicet  
volens & designans Eucharistiam, cantat: *Parat  
nobis mens Domini aduersus eos qui tribulant nos.* Hoc  
factum est, ut Martyres CHRISTI ante passiones  
suas sacra Eucharistia reficerentur, & ea refecti  
constantes in tolerantia atque patientia forent.  
Quid inde?

*Caduntur gladiis more bidentium,  
Non murmur resonat, non querimonia,  
Sed corde intrepido mens bene conscia  
Conseruat patientiam.*

Hæc patientia, quam in suo sacro Hymno com-  
mendat Ecclesia, fructus est Eucharistiæ; & hæc  
MARIA Martyrum omnium Regina capit præmium  
post illam ceteri, qui suarum tolerantia passionum  
Communionem suam esse sanctam comprobant.

## V.

## LONGANIMITAS.

*Fructus sa-  
era Com-  
munionis.*

**Q**VINTUS Spiritus sancti fructus *longanimitas*  
& expellit omnem animi pusillitatem, & hæc  
fructus est venerabilis Sacramenti, quandoquidem  
post Communionem monet officij sui Apostolus  
CHRISTVS, dicens Ioan. cap. 14, 1. *Non turbetis  
uestrum.* Numquam fortior, numquam animosior.



MARIA, quàm cum panem cæli in utero virginali concepit. Tam de illa quàm de Ecclesia scriptum legitur Prouerb. cap. vlt. 17. *Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Gustauit & vidit quia bona est negotiatio eius.* Addit deinde Salomon: *Considerauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit.* Quandoquidem scriptum est, *Panis* Psal. 103, 16. *cor hominis confirmat*, qui moribus Marianis sacrum hunc ceperit cibum, affirmare rectè poterit: *Omnia* Phil. 4, 13. *possum in eo qui me confortat.* Deerat Eliæ animus, cum esset sub umbra iuniperi, præcocem, & necdum satis maturum hunc fructum percepit, & tales concepit animos, ut in fortitudine cibi illius, qui nondum Eucharisticus erat, iter quadraginta dierum emensus fuerit. Cui præstò est Eucharistia, animus deesse nequit.

## VI.

## BONITAS.

Sextus Spiritus sancti fructus *bonitas* est, & hic Fructus sancti & Communionis. Zach. 9, 17. *ipse reperitur in hoc Sacramento. Quid enim bonum eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Cum hoc mysterium bonitate plenum sit, impossibile est, ut qui participes eius sunt, consortes bonitatis eius non fiant. Quam ob causam Christus, sumpta iam sa-



cra Synaxi, monuit Apostolos se vitem esse, pal-  
 tes ipsos. *Ego sum vitis, vos palmites.* vt, palmitum  
 10an. 15, 1. star, cum accipiunt illi iniurias, suave vinum  
 fundant, non amarum, sed gratum animam.  
 quo bonitas consistit, ostendant. O clemens  
 ô dulcis virgo MARIA! cuius bonitas maxime  
 tuit, cum acceptum de celo panem tibi non  
 uasti, sed omnibus, etiam hostibus exposuisti.  
 clamat item Ecclesia: *O quam suavis est Domini  
 ritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios deo-  
 res, pane suauissimo de celo prestato esurientes reple-  
 nis!* Replet bonis eos qui communicant, & com-  
 municando bonos, pios, dulces, & suaves  
 aduersantibus sibi ostendunt. Hic fructus Spi-  
 ritus sancti est affectus MARIAE, & effectus  
 charistiae.

VII.  
BENIGNITAS.

Fructus sa-  
crae Com-  
munionis.

**S**eptimus fructus Spiritus sancti est benignitas.  
 Sius munus est, vt sua gratis & hilariter tribuat.  
 2. Cor. 9, 7. *hilarem enim datorem diligit Deus.* Ad hanc benigni-  
 tem pertinet, quod significauit Christus Discipulis  
 accepta iam Eucharistia, vt sui officij memores  
 redderet. *Cum autem, inquit, venerit Paraclitus, ego  
 10an. 15, 86. mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre*



procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum es. Quæ bona habuerunt Apostoli, hilariter & gratis post aduentum Spiritus sancti cunctis mortalibus impenderunt. Communicauit & sua benignissima MARIA, cum Verbum caro factum est, & Verbum incarnatum gratis & hilariter nobis effudit, ut benignitatis suæ specimen exhiberet. Ex hac quoque benignitate nascitur, ut Ecclesia sancta, quæ singulis diebus communicat, ad Communionem nos impellat, & aliquando etiam compellat. *Be-<sup>psal. 50,</sup> nigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut adifi-<sup>20.</sup> centur muri Ierusalem. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ.* Acceptabis sacrificium Eucharistiæ, cuius virtute ducti & inducti communicantes, gratis & hilariter oblationes & holocausta immolabunt, & super altare tuum vitulos imponent, sicut decet eos qui gaudent se esse Marianos & Christianos.

## VIII.

## MANSVETUDO.

**O**ctauus fructus Spiritus sancti esto *mansuetudo*. *Fructus sa-  
crae Communionis.* Columba diuina Spiritus sanctus est, propria eius virtus mansuetudo, in qua conuenit cum agno columba, conuenit cum Spiritu sancto CHRISTVS. Cum homo communicat, Agnum Dei pacatum



tum comedit: debet igitur esse & ipse mitis ac mansuetus, unde & CHRISTVS se participantibus dicit  
Luc 10, 3. *Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.* Prima, quod mitem Agnum accepit, MARIA fuit, & prima mansuetudine tulit,

*Virgo singularis*

*Inter omnes mitis,*

*Nos culpis solutos*

*Mites fac & castos.*

Huc pertinet, quod accedentibus ad Communionem repræsentat & clamat Ecclesia: *Ecce Agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi.* ut nimirum communicantes mitem Dei Agnum percipiant, cuiusque mansuetudinis participes efficiantur.

IX.

FIDES.

Fructus sacrae Communionis.

**F**RUCTUS nonus Spiritus diuini *fides* est, & sacramentum altaris quid est aliud nisi *mysterium fidei*? Hoc mysterium confirmat in fide Christianos, ac proinde CHRISTVS, ut firmaretur fide Apostolos, Eucharistiâ eos refecit, refectorem Ioan. cap. 14, 1. monuit, *Creditis in Deum, & in me credite.* Accedit & beata MARIA, quæ cum de lapsum è cælo panem degustasset, à fide communicata est: commendauit autem illam fidelis Elisabethæ



tha, *Beata, quæ credidisti.* Accedit, & Catholica Ec-  
clesia, quæ communicanti dicit: Luc. 1, 45.

*Quod non capis, quod non vides,*

*Animosa firmat fides,*

*Præter rerum ordinem.*

Mysterium fidei est, quod fidelem parat, ac reddit  
audium, ut si quis huic Sacramento firmiter ac fi-  
deliter credat, ad ceterorum mysteriorum religio-  
nem facile aditum inueniat. Mysterium fidei est,  
cuius alimoniâ tota fides Christiana nutritur & edu-  
catur. Hinc vera fides procedit, pullulat, & fructi-  
ficat. Procedat, pullulet, & fructificet fides illa,  
quæ beatam fecit MARIAM, faciet & animam su-  
mentem Eucharistiam.

## X.

## MODESTIA.

**D**ecimus Spiritus sancti fructus est *modestia*, Fructus sa-  
cræ Com-  
munionis.  
quæ docet hominem moderationem verbo-  
rum & factorum, ut se componat, & humiliter ge-  
rat. Christus humiles & modestos voluit eos, qui-  
bus suam Eucharistiam impendebat, & idcirco,  
cum illam institueret, in sancta humilitate instru-  
xit. Præluxit exemplo MARIA, quæ dum panem  
cælestem accipit, humilitate illum concepit, Ecce Luc. 1, 38.  
*ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: &*  
M m m m post-



Luc. 1. 48. postea sibi similis cecinit in montanis, *Quia respice  
humilitatem ancilla sua*, ecce enim ex hoc beatam  
cent omnes generationes. Tota humilis ac modesta  
clamat Ecclesia: *O res mirabilis! manducat Dominus  
seruus, pauper, & humilis.* Famuli, cum sibi ad  
dominum norunt, modestè se gerunt; & ad  
rum exemplum componere nos Paulus contem-  
Phil. 4. 5. cum dicit, *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus  
Dominus enim propè est.* Quòd si, cum dominus  
pè sit, modestiam requirit in seruis, quanto  
rem compositionem exigit, cum Dominum  
edimus, & intra nos recipimus? Exiget plane  
destiam virginealem, quam post factam Incarnati-  
nem MARIA seruauit & coluit.

XI.  
CONTINENTIA.

*Fruitus sa-  
crae Com-  
munionis.* **V**Ndecimus Spiritus sancti fructus  
est, cuius vis in eo sita est, vt impediatur  
caro nostra lasciuiat. Ne palmes lasciuiat, purgatur  
& emundatur, & hoc ipsum efficit cum carne  
stra Spiritus sanctus. Hic etiam effectus totus  
charisticus est, vnde & CHRISTVS, postquam Ap-  
stolis suis panem consecratum distribuisset,  
Ioan. cap. 15, 1. *Ego sum vitis vera, & Pater meus  
cola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum*



tollet eum: & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Continuit se intra domum & intra templum MARIA, ut continentia prælucere exemplo, sicut ante & post Eucharistia susceptionem præluxit. Ecclesia sancta continentia cingulo vult præinctos Sacerdotes suos ante Missæ celebrationem, & post acceptam Communionem tanti beneficii memores eos esse cupit, & monet, ut gratias Deo agant, & ab eo simul donum ac fructum continentia postulent ac dicant: *Deus, qui tribus pueris mitigasti flammam ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.* Benè Bernardus Serm. in Cœna Domini: *Quis poterit tam efferos motus frangere? Quis pruritus ulceris ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia subuenit, & ut securi sitis, Sacramenti Dominici Corporis & Sanguinis pretiosi inuestituram habetis.* Hæc gratia MARIAE immaculata est, quæ humana carne æternum Verbum vestiuit.

XII.  
CASTITAS.

**D**Vodecimus Spiritus sancti fructus est *castitas*. Fructus sacrae Communionis. Castitas & continentia discrepant inter se: continentia luctatur, vincit castitas. Egit Christus post acceptam Communionem cum Apostolis Ioan. cap. 15, 3. & eorum castitatem recognoscens, ait: *Iam*

M m m m 2

mun-



mundi estis propter sermopem, quem locutus sum vobis. Quod quidem postquam iam beata MARIA verbo concepit Filium, non solum virgo, sed etiam virginitas erat. Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio, quia quem celi capere non poteram tuo gremio contulisti. Hæc Mariana virginitas ex patre illo processit, qui descendit è cælis. Et ubi Eucharistia est, ibi & virginitas est, cum dixerit cap. 9. Zachar. Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virginum? Eucharistia instar pretiosæ arboris est, quæ germinat virgines, producit carnis & spiritus incorruptionem, perfectam scilicet castitatem, quæ fructus est Spiritus sancti. Appositè Cyrillus lib. 4. Ioan. cap. 34. Vt panis hic terrestris fouet, imbecillitatem carnis nostræ sustinens & conseruans; ita & ipse (noster) IESUS CHRISTVS in Eucharistia) per Spiritum sanctum spiritum nostrum vinificat, & corpus ipsum à corruptione liberat. Liberat Eucharistia homines à corruptione & in cælum transfert, vbi gloriosa MARIA duodecim primæ magnitudinis stellis, duodecim Spiritus sancti fructibus respondentibus, coronatur, & secundum illam dignè ac purè communicantes ad eadem stellis, sed minoribus, coronabuntur. Qui vero frequentius & feruentius communicauerint, ibi



ce eodem Spiritu sancto, & eadem MARIA comite,  
 coronam duodecim stellarum illustriorum obtine-  
 bunt. Ad tanti frequentiam Sacramenti ducit nos  
 multiformis munere suo Spiritus sanctus. Attrahit  
 nos per se, & per septem dona sua, vt accedamus  
 sapè, & sapè in nobis gloriosam MARIAM, totam  
 planè Lucharisticam, referamus virtute venerabilis  
 Sacramenti, quod terram cælum, terrenos verò ho-  
 mines cælestes efficit, & supercælestes eos, qui di-  
 tari Spiritus sancti muneribus, munificum Eucha-  
 ristia Sacramentum sapè recolunt & frequentant.

*Ducit nos ad fre-  
 quenter sum-  
 mendam Eucha-  
 risticam Spi-  
 ritus sanctus  
 MARIA.*

ASSIDVITAS ET CŒNSTANTIA  
 IN CVLTV ET VSV  
 SACRÆ EYCHARISTIÆ  
 SANCITA ET SANCTIFICATA  
 SEPTEM DONIS  
 SPIRITVS SANCTI.

**F**REQUENTATIONIS Eucharisticæ primus Spiritus  
 & primarius auctor est Spiritus sanctus,  
 siquidem post eius descensionem assiduus  
 sacra Communionis, vsus ingruit & in-  
 ualuit. Postquam cap. 2. Actor. sacer Historicus so-  
 lem-

*Spiritus  
 sanctus au-  
 ctor fre-  
 quentis  
 Commu-  
 nionis.*